

potest etiam non Dominus; quâ ratione quoque prolixior
 sese sistit Tractatio. Non est prætereunda hic Quæstio: **19**
 an ad Regalia minora Jus furnorum pertineat? Ad quam
 quæstionem breviter negando respondemus; (1) quoniam
 non recensetur in *2. Feud. 56.* ubi Regalium minorum sedes
 est. (2) quoniam omne hujus Juris emolumentum ad Pri-
 vatos pertinet; quale, quemadmodum in simili dicit *Dn. à*
Seckendorf. in Teutschen Fürsten Stadt. ad Regalia non
 referri potest. (3) quoniam objectum Regalium sunt bona
 publica *Vid. Struv. Synt. J. F. C. 6. Apb. 13. n. 5.* Et in termi-
 nis nostris de furno hoc ita decidit *Cravetta Consf. 861 n. 4.*
& Consf. 871. n. 5. & quos ibi allegat. **20** Quod si tamen verum
 fateri velim, vix moribus seculi præsentis convenit, Regalia
 ex allegato textu Feudali *2. F. 56.* inquisivisse; Latior eorum
 natura hodie est; dum multa Principes Regalium nomi-
 ne hodie exercere videmus, quæ suâ naturâ nil minus
 sunt quam Regalia; sunt tamen talia ex accidenti; quate-
 nus soli Principi sive tacito sive expresso populi consensu
 relicta, quorum exercitium postea nemini competit, nisi
 qui concessione Principis se munitum esse probaverit. Quod
 si ergo Regalia minora aliàs sunt Jura Principi relicta in
 utilitatem & emolumentum Fisci, quis non & furnorum
 Jus Regalibus annumerari posse dixerit, scil. ubi subditis li-
 centia tantum est publicis furnis à Principe constitutis u-
 tendi, hoc pacto, quo Fisco certam pensionem pro usu eo-
 rum ex solvant. Non solent quidem facilè Principes sibi
 talia, quæ quotidianis omnium usibus inserviunt, arroga-
 re; quod si tamen ex Ratione Salutis publicæ id factum fu-
 erit, mox pro Regali, in effectu sui juris, jus furni haben-
 dum esse, nemo iverit inficias. Ob quam causam Jus fur-
 ni postea per investituram à principe aliis concedi solet, uti

B

infe^r